



H  
B  
18  
14(114)

# BEATISSIMÆ VIRGINI A SALVATORE.

*Suæ quondam Palladi  
 Dicare literarum munera vana consuevit superstitio;  
 Rectius Tibi meas nuncupo Theses,  
 Magna Dei Mater,  
 De qua ille est natus,  
 In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.  
 Liber generationis JESU Christi cum sis,  
 In Te sine voce, & scriptura  
 Inscriptus ipse Deus, & Verbum per diem legitur.  
 Non aliam in terris sapientia edificavit sibi domum,  
 Præter Te,  
 Ubi Dei Filius tanquam in Sole posuit tabernaculum suum.  
 Primos igitur mei studij flores ad Jessæam Virgam pronus appendo,  
 Facturam Te sperans,  
 Ut sint ope Tua flores mei fructus honoris, & honestatis.  
 Cum de instituendis heredibus Theses agant,  
 Merito Tibi sisti debuerant,  
 Per quam hoc magnum habuimus, ut filij nominemur, & heredes,  
 Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.  
 Immortalis animus  
 Mori quanvis non possit;  
 Affectus tamen in Te mei heredem Te ex asse vellet,  
 Neque sibi quidquam relinqueret,  
 Quod Tibi non cederet in obsequium.  
 Alienationem præterea Judicij propugnaturus,  
 Ne alieno, aut alienato judicio  
 Contraria meis Thesibus judicia  
 Repellere videar,  
 Tuo sub patrocínio  
 Non raro gratis, sed plerumque ut venalè  
 Ad obsequiis emendum exposito  
 Certamen ingredior,  
 Tu vero defensionem meam conspice,  
 Dum me felicem voco,  
 Et fausta adeo  
 Cecidit fors super Mathiam.*

D. V. & C.